



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S. Th. quondam
Louanij Professoris Tractatus De Sigillo Confessionis
Sacramentalis**

Malderen, Jan van

Antverpiæ

Capvt VI. An pœnitens, nolens consentire in reuelationem qundo tenetur,
sit absoluendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41093

idem debitum consensus, quod ipse consensus. Sic consensus per verba de præsenti debite præstitus operatur vt horum carnalis copula non sit peccatum, debitum autem istius consensus hoc non operatur. Rectè monuit Nugnus in Supplementum q. 11. art. 1. sub finem, etiamsi debeat hunc consensus præstare pœnitens, si neget, non posse quidquam dicere Confessarium: quod non ita accipiendum est, quasi interdum non debeat pœnitentem in hoc officij sui monere, vt patebit ex sequenti Capite; sed quòd ad nullam omnino reuelationem procedere debeat.

CAPVT VI.

An pœnitens, nolens consentire in reuelationem quando tenetur, sit absoluendus.

Quàdo nolèri consentire in reuelationem debeat negari absolutio. CERTVM est, non esse absoluendum, si omnino sit liquidum quòd teneatur consentire in istiusmodi reuelationem; & neque ipse reuelare velit, neque in reuelationem per Confessarium faciendam consentire. Secùs si promittat se reuelaturum, aut saltem proponat se reuelaturum prima opportunitate; & malum quod per reuelationem auertendum est, tale sit vt meritò eiusmodi dilatio pœnitenti indulgeatur. Erit etiam

etiam absoluendus, si aliquo modo probabilis sit opinio ipsius pœnitentis, qua putet sibi non incumbere vllam obligationem huius reuelationis faciendæ aut concedendæ hîc & nunc, cum istiusmodi suis, quæ verisimiliter timet, incommodis; de quibus prudenter Pœnitentiarius iudicabit. Quod obtinet etiam, quando est liquidum licere: sufficit, probabile esse non teneri. Cùm autem consensus extortus non sit pro consensu habendus, vt suprâ diximus, videat Confessarius, ne vtatur consensu pœnitentis, quando eum indebitè coëgit, nolens absolvere nisi det sibi licentiam peccatum reuelandi.

CAPVT VII.

An quando negatur absolutio defectu propositi non abstinendi aut parendi in necessariis, teneatur nihilominus Confessarius ad Secretum seu Sigillum Confessionis.

RESPONDEO, omnino certum esse quòd nihilominus teneatur ad hoc Secretum, etiamsi deficiat pœnitens, non faciendo quod debet in ipsa relaxatione obligationis huius Secreti. Quod extendo etiam ad casum quo induxerit pœnitens Confessarium ad audiendam suam Confessionem

D 5 sub